



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

§. 1. Coniugibus quis honor debeatur?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45699**

senium perueniant, quod venerari nescierunt. Itaque iuxta ve-  
tus illud laudatumq; prouerbum, *maturè fiat senex, quicumq; diu  
vult esse senex*; quorum enim virtutem veremur, eorum etiam z-  
tatem meremur.

## CAP V T XXVI.

*Coniugibus, Dominis, Benefactoribus, rerum peritis, & ami-  
cis honorem deberi.*

I.

4 **H**onos debetur coniugibus. Honorantur autem, si a-  
mantur. Est enim & amor, si signis externis prodatur,  
testimonium excellentiæ eius, qui amatur. Qua de caus-  
sa & Paulus ait: *Viri diligite vxores vestras, sicut Christus dilexit Ec-  
clesiam, & se ipsum tradidit pro ea. Ita & viri debent diligere vxores  
suas, vt corpora sua. Qui suam vxorem diligit, seipsum diligit. Vxo-  
ribus autem quid dicit? Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Do-  
mino; quoniam vir caput est mulieris: sicut Christus caput est Ecclesia.*  
Hæc sunt officia viri & vxoris; vir enim vxori amorem, vxor viro  
debet timorem & reuerentiam, quasi subdita. Non imitantur  
Christum mariti in vxores suas truculenti; sed qui prudentia, gra-  
uitate, & patientia commune onus ferunt, quemadmodum tulit  
Christus peccata Ecclesiæ suæ ac sponsæ, quæ sanguine suo expia-  
uit; Neq; officium suum faciunt vxores, quæ audent procaciter,  
& inuerecundè maritis obloqui, quos deberent reuereri & cum  
reuerentia alloqui, sicut Sara reuerita est maritū suum Abraham,  
quem *Dominum* vocauit: aut sicut Monica honorauit Patricium  
virum infidelem, de qua D. Augustinus Deum sic alloquitur. *E-  
ducata pudicè, sobriè, potiusq; à te subdita parentibus, quàm à parenti-  
bus tibi, ô Domine, ubi plenis annis nubilus facta est, tradita viro serui-  
uit veluti Domino, & satagit eum lucrari tibi, loquens te illi moribus  
suis, quibus eam pulchram faciebas & reuerenter amabilem atque mi-  
rabilem viro suo.* Secus agunt illæ vxores, quæ dominæ vocari, &  
esse volunt virorum suorum; atque vt dominantur, non pruden-  
tem maritum quærunt, sed vecordem & vxorium, ac stolidum,  
vt eum habere possint sub sua potestate, eoq; tamquam manci-  
pio vti: cumq; aliàs mulierem ornet silentium, illæ luculentè  
osten-

Ephes. 5. 25.

Gen. 18. 11.

S. Augustin.  
lib. 9. Confes-  
sion. c. 9.

ostendunt, non deesse sibi verba, quoties vir, sine illarum nutu, pedem mouet. Vno verbo in illa domo nec obedientia est, nec reuerentia, in qua mulier & Imperator est, & miles. Hæ, quæ malunt dominari dementibus maritis, quàm sanis ac prudentibus parere, teste Plutarcho, perinde faciunt, ac si quis in itinere malit ducere cæcum, quàm sequi videntē, & viæ gnarum. Itaq; vir vxorem debet diligere, vxor virum vereri. Sic S. Pauli, & verò etiam S. Petri suprâ citato præcepto fiet satis; sic coniugium erit honoratum. Vt enim corpus nihil potest absq; animo, neq; animus rectè valet, nisi corpore incolumi, ita inter vxorem & maritum, nisi sit honor & amor, non est coniugium, sed tormentum. Fusè de hoc argumento egi, in tractatu de faustis & infau-  
stis matrimonijs.

5. Quemadmodum Apostolus iubet *mulieres viris suis subdi-  
tas esse, sicut Domino*, ita & seruis dicit: *Serui obedite dominis car-  
nalibus, cum timore & tremore in simplicitate cordis vestri, sicut Chri-  
sto, non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed vt serui  
Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate serui-  
entes, sicut Domino, non hominibus, scientes quoniam vnusquisq; quod-  
cumque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, siue seruus, siue liber.  
Et vos domini eadem facite illis, remittentes minas: scientes, quia &  
illorum & vester Dominus est in calis: & personarum acceptio non est  
apud eum.* Eadem repetit ad Colossenses scribens, Honorant ergo  
dominos Serui, dum eis cum timore seruiunt. D. Hieronymus  
tradit, sub initia fidei Christianæ, multos, cum audirent se vo-  
cari ad libertatem Christianam, putasse per eam solui à vinculo  
seruitutis; sicut, priore sæculo, putarunt rustici in Germania, ser-  
uilem adhuc, vt dicitur, capillum præ se ferentes, quos tam in-  
suam, quàm in dominorum perniciem ad rebellionem accendit &  
armauit Lutherus; ita vt ex eis cæsa sint centum millia. Quem  
errorem dudum euertit Concilium Gangrense hoc decreto: *Siquis  
seruum diuini cultus, aut aliquo religionis pretextu doceat contem-  
nere dominum, & recedere a seruitute, non autem in bona voluntate &  
omni honore seruire dominis suis, anathema esto.* At autem S. Pau-  
lus. *Serui obedite dominis carnalibus (seu secularibus) cum timore &  
tremore, vt seruilis conditio exigit; immò quia Christus in iudicio*

II.

Ephes. 6. 5.

Colossens. 3.

22.  
S Hieron. in  
ep. ad Ephes.Conc. Gan-  
grens. can. 3.